lem. Ille Scholaſticis dicitur proportionatus, hic ſuperexcedens. Confer, cum reg. 10.

II. *A voluntate Dei ſapientiſſimâ non licet aſcendere ad ulteriorem cauſam.* Nam voluntas Dei ſapientiſſima, hoc eſt, cum intellectu ejus conjuncta, eſt prima cauſa. e.g. Deus elegit Iacobum ad vitam æternam, quia voluit. Cur voluit? Quia bonum eſſe judicavit.

III. *A ſignificatione ſynecdochicâ ſive ſpeciali vocis huius,* prædeſtinatio, *non licet argumentari ad generalem.* Significatio ſpecialis eſt, quâ prædeſtinatio in Scripturis accipitur non niſi de gratuito electionis decreto: generalis eſt, quâ ex communi uſu Auguſtini, & aliorum veterum ſcriptorum, atque etiam ex analogiâ loci *Act. 4. v.* 28. *& Iudæ verſ.* 4. hoc nomen tam de reprobatione, quàm de electione uſurpatur.

IV. *Ab electione ad reprobationem non valet argumentũ quantum ad propria.* Nam prædeſtinatio eſt genus electionis & reprobationis analogum: quia licet ipſe reprobationis actus ſit à Deo, tamen omnia circa quæ reprobatio verſatur, ex reprobatione non ſunt. Itaque electio & reprobatio ſunt contraria imparia, ita ut hîc

locum